



Andreas Lypsia apud Saxones natus & educatus fuit. Is ut commodius pietati & literis operam daret, pro consuetudine eius seculi Augustinianorū ordinem assumpsit, atq; noctes diesq; sacris literis & S. Patrum libris incubuit. Itaq; magnum eruditionis thesaurum sibi comparauit, atq; Lypsia Augustinianorum Prior constitutus fuit. Cum is sacros libros explicaret, inter prælegendū sæpe dixit: quod gratia simus quicquid sumus, & rem Christianā opus habere magna & forti reformatione, quæ etiam haud procul absit. Quoniã uerò fratres eum admonerent, ut reformationem inciperet, & se erroribus opponeret, suam ætatem et

corporis infirmitatem causatus est. Verùm breuī uenturum heroem ætate, uiribus, doctrina, & eloquentia præstantem, qui reformationem incepturus, & magistratibus contradicaturus sit. Etsi tamē has admonitiones Andreas inculcaret, tamē totius ordinis provincialis ob pietatem & doctrinam electus est. Itaq; paulo ante mortē ad synodū uocatus fuit, quæ primò Pisis indicta, post Mediolani acta, & demum 1510 in Laterano absoluta fuit. Ibi cum ageretur de indicendo nouo festo, solus Andreas contradixit, & populum Christianum sanguine Christi liberatum, alioqui nimium traditionibus oneratum indicauit. Tentauit quidem papa cum patribus Concilij Prolem à sua sententia reuocare, uerùm is constanter perseverauit, & ideo à pontifice excommunicatus fuit.